

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Liberalitas ad  
cum fontibus proximo et primo

Melius puto apud pauperes bonos  
quam apud diuites magnos collocari beneficium,  
et reddit rationem.

Nam qui locupletes sunt beneficio obligari nolunt,  
immo cum acceperint beneficium quamuis magnum,  
aut beneficium se prius dedisse arbitrantur,  
aut aliquid a se expectari suspicantur.

Cum uero inopi bono benefacias,  
spectatum se non suam fortunam putat,

et ideo si in contencione res uenerit,  
sequere Semistodem qui ait de nupciis filie sue consultus:

Malo uirum qui pecunia egeat, quam pecuniam que uiro.

Seneca de beneficiis.

Iterum melius apud bonos  
quam apud diuites puto collocari beneficium.

Nam qui locupletes sunt obligari beneficio nolunt,  
sed cum acceperint beneficium quamuis magnum,  
beneficium se dedisse arbitrantur,  
aut aliquid a se expectari suspicantur.

Item si malo opulento benefacias,  
in illo uno aut forte in eius familia manet gratia;  
si autem inopi et bono,  
omnes inopes boni presidium sibi paratum uident.  
Et cum inopi bono benefacias,  
spectatum se, non suam fortunam putat.

Ideo si in contentionem ueniet res,  
sequere Themistoclem qui ait:

‘Malo uirum qui pecunia egeat, quam pecuniam que uiro’.

Pseudo-Guillemus de Conchis, *Moralium dogma philosophorum*,  
I.B.2.a<sub>1</sub> (J. Holmberg ed., p.17, ll.13-22).

←

At qui se locupletes honoratos beatos putant, ii ne obligari quidem  
beneficio volunt; quin etiam beneficium se dedisse arbitrantur cum  
ipsi quamuis magnum aliquid acceperint, atque etiam a se aut  
postulari aut exspectari aliquid suspicantur,  
patrocinio uero se usos aut clientes appellari mortis instar putant.

At uero ille tenuis, cum quidquid factum sit se spectatum, non  
fortunam putat, non modo illi qui est meritis sed etiam illis a  
quibus exspectat (eget enim multis) gratum se uideri studet, neque  
uero uerbis auget suum munus, si quo forte fungitur, sed etiam  
extenuat.

Marcus Tullius Cicero, *De officiis*, 2.69-70 (M. Winterbottom ed.,  
p.100, ll.4-14).

→

Quam ob rem melius apud bonos  
quam apud fortunatos beneficium conlocari puto.  
Danda omnino opera est ut omni generi satisfacere possimus, sed,  
si res in contentionem ueniet, nimirum Themistocles est auctor  
adhibendus, qui, cum consuleretur utrum bono uiro pauperi an  
minus probato diuiti filiam conlocaret, ‘ego uero’ inquit  
‘malo uirum qui pecunia egeat quam pecuniam quae uiro’.

Marcus Tullius Cicero, *De officiis*, 2.71 (M. Winterbottom ed.,  
p.100, ll.20-26).